QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE

AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM. DIE IOVIS XVII. APRILIS

Magiſtro Georgio Cornuty Doctore Medico, moderatore prudentiſſimo.

An In lue venerea quæuis vacuatio?

MIXTVM corpus naturâ vel priuatione exanime, abſque calore non conſiſtit: Inſunt ſemina flammæ abſtruſa in venis ſilicis, & cadauerum oſſibus. Quidquid viuit, natiuo augetur, roboratur, ſanum eſt. Nec ea duntaxat quæ vita fruuntur, ſed à viuentibus orta, velut ſemen, vegeto calore perfunduntur. Vnum quodque quò perfectius, eò celerius, non ſuo putret: qui pro vario virtutis robore, & hoſpitij diſcrimine, morbos longè diuerſos gignit.

IAM ſi in excremento ſeminali maris & fœminæ lares focumque habeat dirus ille hoſpes vel potius hoſtis; è parua putredinis Lerna, ſuſcitatur bellua multorum capitum, affectus ex venereo contactu multiplex: quippe in eo triplex morbi genus ineſt: Intemperies calida cum humore, morbus organicus, vt deformitas, morbus communis, vt vlcus: ex quo fit, vt à cognatione cum alijs, ægrè deprehendi, cum ſerpere incipit, queat.

SED quâ rabie ſæuit, facilè poſt innoteſcit. Namque ſe, pilorum capitis & barbæ defluuio, puſtularum circa frontem, ac tempora, ponéque aures eruptione, capitis & artuum penitiſſimis doloribus, ſub noctem ingraueſcentibus, acerrimè profert. Nonnumquam vero, indelebilis macula rubra, ſub cute antica thoracis erumpens, vel vlcus obſcœnarum partium abditum, conſpicuum, minerales ex arte aquas, verſicolores hydrargyri cineres, & vnguenta Pharmacopœorum officinalia, ac Chirurgorum illita linteola eludens, deliteſcentem in intimis partibus Hydram arguit.

IN his omnibus ſeorſim, iudicium difficilè. Artuum vlcera formidabiliora, non deteriora. In puſtulis, pilorumque defluuio, plus verecundiæ, minus periculi, dolores capitis fixi, acerbi, exoſtoſes, caries, deſtillationes à cerebro in ſubiectas partes nobiles, haud procul abſunt ab exitio. In viris rara venere vtentibus, glande non detectis, mollioribus cute, omnia grauiora, & in omnibus quò diutius fermentata.

VENIENTI igitur morbo occurrendum, maturè proſpiciendo ad ea quæ magis vrgent, vt ſunt prægreſſa vlcera, tumores inguinum: conſtanti gliſcentiue, ex omnibus corporis regionibus vacuando, opitulandum. Ex prima, enematis & purgantibus pharmacis: Ex ſecunda, phlebotomia. Ex tertia, tenues in vitio humores, hidroticis ſecernuntur, euaporantur. Lenti & cunctantes humores, litu, emplaſtris, raro ſalutaribus ſuffimentis hydrargyro medicatis, ſaliuatione vel diarrhœa, foras vna cum morbo, accedente victu calorem contemperante, protruduntur.



Ergo in lue venerea quæuis vacuatio.

Aſſerebat Lutetiæ IOANNES MAVNOIR Romorantinus. A. R. S. M.DC.XIV.